Iesus Manus

Reuerendo in Christo patri et domino d. Nicolao
Amsdorfio Episcopo Numburgen: domino suo
obseruando

Gratiam et pacem ~~ad~~ a deo patre nostro per Christum.
Etsi Reuerende in Christo pater et domine ad R. T. D.
rarius scribo, non tamen tui memoriam animo
meo excidere patior, sed pro Ecclesiae Christi salute
gemitus et suspiria mea tuis aliorumque piorum precibus
incessanter adiungo, Ut qui in eodem naufragio omnes
iuxta periclitamur, ac speramus filium dei breui
appariturum in maiestate et gloria, Ut Ecclesiam suam
semel ab omnibus malis liberet, atque glorificet. Amen.
In mundo aliam spem nullam, nec audio, nec video,
nec credere nec expectare, aut petere possum, cum
contra dei verbum non liceat. Donet deus ut in
patientia pia consolationibus verbi sui acquiescamus.
M. Rorarius cuius officium, fides et diligentia in colligendis
ex ore 88mi D. M. Lutheri piis sermonibus tibi notissima
sunt, habuit ex redditibus collegii Canonicorum Gothan:
in singulos annos X. fl., quos petit ab Illustrissimis
Principibus sibi prorogari, misi ipsius literas iam
in [illegible] R. D. Basilio ac D. Francisco Cancellario

optimi viri causam commendari. Itaque eiusdem
nomine te quoque oro, ut quantum licebit illius causam
iuves. Ad ceterorum quam hactenus ex publicis
calamitatibus et sustineo hoc etiam accessit,
quod ante aliquot septimanas orbatus sum
fidelissima vitae socia, cuius promptissimis officijs
ego certe cum parvulis filijs aegerrime carere possum.
Sed hic quoque dolor, ut leniendus est consolationibus,
quas doctrina coelestis proponit, Oro tamen
ut meam imbecillitatem precibus tuis confirmes.
Misi ante menses aliquot scriptum consolatorium
Clementissimae Dominae vrae, an vero illius
Celsitudini redditum, quoque animo acceptum sit,
nihil rescivi. Etsi autem liberius multa a me
dicta sint, non puto tamen hac ingenuitate mea
aut Dominam ipsam aut Principes Iuniores
offensos. Pro Illmo Principe captivo ardentiss.
et indesinentibus votis oramus. Exaudiat te Deus
in tempore tribulationis. Et speramus preces nras
non perpetuo fore irritas, adeoque optimum Principem
experturum praesentissimum Dei auxilium.

Hac prolixius aio, quam volueram ad R. D. T.
scripsi, quia ut familiaritatem meam boni consulas
oro. Bene ac feliciter in Dno valeat. Datae Gothae
Dnica post Agnetis Anno salutis 1548.

R. D. T.

Ads

Iustus Menius

G

Reverendo in Christo patri et dno
D. Nicolao Amsdorffio Epo Numburgensi
dno observando suo

G et P. per Christum, Reverende in Christo pater
domine observande. Gratias ago ~~quam~~ quam maximas
R. D. T. quod ad literas meas mihi tam prolixe
responderit, et spem et expectationem meam, imo
desiderium meum ardentissimum de instante liberationis
nostrae per gloriosum filij Dei Domini nostri
Jhesu Christi adventum confirmavit. Est enim
haec unica et verissima semper et perpetua
consolatio mea in tristissima illa rerum omnium
perturbatione, et confusione, quae David dicit,